



Specimen juridicum inaugurale de solidaria, in rebus mercatoriis, obligatione

<https://hdl.handle.net/1874/322807>

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

DE

SOLIDARIA, IN REBUS MERCATORIIS, OBLIGATIONE.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
CHICAGO, ILL.

157

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE
DE
SOLIDARIA, IN REBUS MERCATORIIS,
OBLIGATIONE,

QUOD
FAVENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

Petri Johannis Isaüci de Fremery,

MATH. MAG. PHIL. NAT. MED. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONCENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO
PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES ADRIANUS MOLSTER.
AMSTELODAMENSIS,

AD DIEM XXIV MENSIS OCTOBRIIS ANNI MDCCCXLVIII,
HORA II—III.

AMSTELODAMI,
APUD L. ROMIJN.
MDCCCXLVIII.

Relisez les vieux Jurisconsultes, ils sont
trop negligés.

PARDUSSUS.

Patris dilectissimi memoriae
Matri carissimae
Fratri amicissimo.

HASCE SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. D.

AUCTOR.

ALPHABET

ALPHABET

ALPHABET

Ex typographeo FRATRUM VAN CLEEF.

VIRO MAXIME VENERANDO

J. A. D. MOLSTER

S. P. D.

ADRIANUS FRATER.



Qui e studiorum scholasticorum curriculo in latiora vitae stadia transituri sunt, libenter illud vitae spatium, quod in vita scholastica decurrere, animo et mente revolvunt. Quod et mihi nunc accidit, quandoquidem ultro plura se hocce die memoriae meae offerunt, quae mente agitare cogor. Ante omnia alia mihi ob mentem versatur patris nostri optimi imago, qui cum ob juris puram doctrinam tum ob sapientiam in rebus humanis, multorum annorum experientiae superstructam, mihi jamjam Themidos templum ingressuro se fidelis

*simum ducem prae buisset, cujusque cura paterna
 erga suos liberos nobis altius in animo haesit,
 quam ut unquam ejus oblivisci possimus. Quam
 jucundam et gratum mihi fuisset, si illi, pro
 omnibus in me collatis curis publicas agere gratias
 potuissem. Cum vero hoc mihi denegatum sit, hoc
 agam, quod mihi restat, quodque me pietas monet,
 sc. ejus memoriae hasce meorum studiorum primi-
 tias dedicare, quas etiam tibi, Frater delectissime
 dedicatas esse velim, ut animum gratum tibi sig-
 nificarem pro diligentissima cura qua tu patris
 partes ita in te suscepisti, ut ejus desiderium mihi
 valde levaretur. Utinam illa insignis tua amicitia
 et animus fraternus in me crescat vigeat in aeter-
 num. Si forte quis arbitretur, me minus recte
 specimen, cujus argumentum jurisprudentiae est,
 tibi Theologiae almae cultori et antistiti dedicare
 hisce Ciceronis verbis, quidem satis tritis, at non
 minus veris responsum esse velim; unum esse om-
 nium artium et doctrinarum vinculum, omnesque
 literarum humaniorum vere amantes, quicunque
 sunt, ubiubi degunt, quidve agunt, in munere
 suo fungendo, ad hoc unum tantum tendere, ut*

hominum atque societatis humanae conditionem in dies magis perfectam reddant.

Dubitanti, quod dissertationis argumentum sumerem, cum fere nil restaret ex nostra arte, quod non jam scripto esset mandatum, auctore v. cl. van Hall praeceptore aestumatissimo, mihi visum est, aliquod universum juris principium tractandum eligere et vel potissimum, de solidaria obligatione in rebus mercatoriis quippe quum multi praesertim francici auctores eam regulam esse contenderent.

*Vix verbis exprimi potest, Amicissime Frater quantopere cum ob consilia alias mihi data, tum propter ea, quibus me auxit, in hocce specimine conscribendo, nec non ob benevolam librorum sup-
peditationem viro cl. van Hall me obstrictum sentiam; numquam affabilitatis comitatusque, quatum in publica cum in privata institutione, qua uti mihi etiam licuit, me discipulum excepit, immemor ero; spero fore ut aliquando dies illucescat quo palam facere potero, haec omnia non in ingratum esse collocata. Non minus me felicem praedico, quod uti mihi licuerit institutione v. cl. den Tex, qui me studia juridica ingredientem*

*fidelissimi ducis instar, quo tendendum, quid
agendum, quidve fugiendum esset, docuit. Diu
D. O. M. hos duumviros in juris studiorum decus,
in omnium quibus ea disciplina cordi curaeque
est, emolumentum incolumes servet!*

*Scipsi Amstelodami ad D. XX mensis Septem-
bris, Anni MDCCCXLVIII.*

CONSPECTUS.

CAPUT I.

DE SOLIDI OBLIGATIONE UNIVERSE.

- § 1. *Obligationis solidariae notio* pag. 1.
§ 2. *De solidi obligationis natura* » 3.

CAPUT II.

QUOMODO SOLIDARIA OBLIGATIO UNIVERSE SIC SE EXTENDERIT, EX HISTORIA INDAGATUR.

- § 1. *Quomodo ipsa mercaturae principia universe
se extenderint* » 9.
§ 2. *De solidi obligationis vestigiis apud Romanos.* » 15.
§ 3. *Quomodo haec principia postea se excoluerint,
historice indagatur* » 26.
Jus nostrum antiquum » 34.
Jus francicum » 36

CAPUT III.

DE SOLIDARIA IN REBUS MERCATORII OBLIGATIONE IN JURE NOSTRO HODIERNO.

- § 1. *Societas nominata* » 38.
§ 2. *Litterae Cambiales* » 42.
§ 3. *Quaestio de negotiis communiter gestis* . . . » 44.

CAPUT IV.

QUID DE EORUM SENTENTIA, QUI SOLIDARIAM OBLIGATIONEM IN REBUS MERCATORIIS PRO REGULA ADMITTUNT EXISTIMANDUM SIT?

§ 1.	<i>Eorum sententia refertur</i>	pag. 46.
§ 2.	<i>Quid de hac sententia universe existimandum sit</i>	» 47.
§ 3.	<i>Quaestio ex aequitate spectata.</i>	» 49.
§ 4.	<i>Quaestio ex jure nostro spectata</i>	» 50.
§ 5.	<i>Quaestio ex doctrina de consuetudine spectata.</i>	» 53.
	<i>Conclusio</i>	» 57.

Vitia haecce typographica ignoscat precor B. L.

Pag. 6	regula 16	nequeunt,	legatur: nequeunt
» 13	» 10	Jurisconsult;	» Jurisconsulti
» 14	» 14	huic	» huic
» 14	» 23	efficacitatem	» efficacitatem
» 15	» 10	consuetudinum	» consuetudinum
» 23	» 15	affirmatur	» affirmatur
» 26	» 9	animadverterunt	» animadverterunt
» 42	» 18	articulus	» articulus.

DE SOLIDARIA IN REBUS MERCATORIIS OBLIGATIONE.



CAPUT PRIMUM.

DE SOLIDI OBLIGATIONE, UNIVERSE.

Duo rei promittendi ita fiunt.

JUSTINIANUS.

§ 1.

Obligationis solidariae notio.

Si plures unam obligationem contraxerint duplex eorum officium recte dicitur; nam vel jura et officia quae inter se habent erga creditorem, vel ea quae erga eos habet ipse creditor nobis considerata sunt. Quod ex rei natura sequeretur, nemo nisi ex re sua pro rato teneri posset; licet vero hoc semper circa ea jura officiaque obtineat, quae inter se erga creditorem habeant, et quae sic inter se dividant; id semper tamen in modo, quo jus suum creditor persequitur, non usque occurrit. Quarundam enim

obligationum haec est natura, ut quisque debitor in solidum teneatur i. e. jure, a quo velit *totam* obligationem, licet proprie inter plures esset dividenda, creditor petat (1). Inter se ipsos vero obligationem dividunt debitores.

Ut ipsa obligatio active ac passive semper spectari potest, prouti eam a debitoris vel creditoris parte consideramus, sic ea, quae in solidum esse dicitur, in *passivam* et *activam* dividi quoque licet (2). Juris Romani interpretes, talis obligationis *latiorem* et *angustiore* notionem accipere, ad illam, nomen illud prae ceteris referre, in eaque creditores *reos credendi*, debitores *reos debendi* appellare solebant (3). Hi quasi unum debitorem constituunt, ita ut singuli solidum solvant; et, obligatione ab uno soluta omnes alios liberari, ex re sequitur (4).

Quod ad ipsa vocabula attinet, jurisconsultos Romanos de duobus reis promittendi et stipulandi de *deobus reis debendi vel credendi*, interpretes vero, de *solidi*, *solida* et *in solidum obligatione* dixisse, hic in medium proferam. Pessime in lege

(1) Fr. II dig de duobus reis constituendis (XLV 2). Ex hoc notione jam duo hujus obligationis requisita adesse apparet. I. ut plures adsint correi vel debendi vel credendi et II. ut hi plures *unius* obligationis sint participes C. F. Glück Erläuterung der Pandecten etc. IV. pag. 512.

(2) Vir cl. C. J. van Assen, Leiddraad voor het collegie van het Burgerlijk Wetboek. Leiden 1846, pag. 322, eam distinctionem exhibuit, secutus Gluckium l. c.

(3) Fr. I. XI. Dig de duobus reis. Jurisconsulti ipsi de *duobus reis stipulandi et promittendi*, dicere solebant. *Reus* est cujus, aliquid obligari inter est. Cicero de orat. II 43. Glück l. c. pag. 511, nota 30. Festus in voce *reus*.

(4) C. C. art. 1316 coll. 1329.

nostra hoc, voce: « *hoofdelijk* » (1) redditur; is enim; qui « *hoofdelijk* » obligatus est contrarium debet, illius qui in solidum tenetur. Et ipse legislator hoc sensu, semel voce usus est (2). Melius dicitur « *hoofdelijk voor het geheel*, » sed praestat iis uti verbis quae usu recepta sunt.

§ 2.

De solidi obligationis natura.

De solidi obligationis causis et effectibus pauca consideranda hoc loco nobis se offerunt. Jure Romano ea constituitur, conventionem, testamento, vel lege (3), quarum conventio si in solidum teneret, stipulatione confirmanda erat; saepe etiam iudicis sententia plures in solidum condemnabantur (4); vel lege delictorum socii tenebantur (5); denique tutores unam tutelam gerentes (6), exercitores et socii (7); et plures quibus utenda vel custodienda data esset res plane in

(1) Cf. inscriptio CC. Lab. III, Tit. I, sect. VIII. vir. clar. C. J. van Assen l. c. p. 320 inf.

(2) Art. 32 alinea 1 C. Mere:

(3) Fr. XXV. § 10 Dig. de familia erciscunda (X 2). An lege etiam fidejussores, in solidum teneantur, quaestio est. Cf. tamen § 4 I de fidejussoribus.

(4) Const. I cod. si plures una sent. (VII 55) fragm. XLIII dig. de re judic (XLIII. 1).

(5) Fragg. I 84 Dig. de eo per quam etc. (II 10) fr. 34 Dig. de injuriis (47. 10).

(6) Fragg. XXXVIII dig. de administratione tutelae (XXVI. 7).

(7) Fragg. I, II, III, IV § 1. dig. de exercitoria actione (XIV 1).

dividua (1). Lege nostra vero conventione et lege constituitur in solidum obligatio, omissa in conventionem, stipulatione illa, pro qua ex recentiorum populi legibus scripta semper sunt usurpata (2). Lege in solidum tenentur; maritus secundus cum uxore tutelam gerens; plures, qui hereditatem administrant, nisi testator testamento aliter de re disposuisset; ii qui de individua re contraxerunt, licet non solidi obligatio esset stipulata; plures commodatarii eadem re usi, plures mandantes uni eandem rem; societatis nominatae socii; omnes quorum nomina in literis cambialibus leguntur; criminis socii (3); quum denique plures locatarii de domus incendio non in solidum tenentur, ut in CC. N. (4). In iis, quae communis juris exceptiones sunt, prudenter semper versati sunt legislatores. Sic etiam in solidaria obligatione, quae secundum jus Romanum, Francicum, et hodiernum nostrum numquam praesumitur. Licet nonnulli, in quibus imprimis est doctissimus Fremery (5) usus contra legem acerrimus vindex, solidariam obligationem regulam vocent, in rebus mercatoriis, (quam sententiam infra accuratius

(1) *Fragm. V* 515 *dig commodati* (XIII 6) et *fragm. I* § 43 *dig depositi* (XVI 3).

(2) A. Fremery *Etudes du droit commercial etc.* Paris 1833, pag. 25 sqq.

(3) CC. art. 406. 1063. 1337. 1786. 1848. *Cod. Mercatorius* art. 18. 146. 209 *Cod. Pen.* art. 55. *Van Assen*, bl. 322.

(4) C. N. art. 1734. In his activa correalis obligatio pacto et testamento, passiva vero etiam aliis dictis causis exstare docet *Gluck l. c.* pag. 514—518.

(5) In *Etudes du droit commercial* pag. 21 sqq.

evolvam); tamen aut fallor, aut hoc saltem loco, quo de universis principiis verba facio, facile ex triplici illa legislatione, obligationem solidariam non praesumendam esse probatur. Ex fragmento enim IX. Principio digestorum de duobus reis (45. 1) testatoris expressa declaratione opus est, ut correorum officium existat (1); in locatione conductione constituenda, in solidum teneri *posse* ait Ulpianus (2); et ne plura addam, in fragmento XLVII dig locati conducti haec Marcelli jurisconsulti verba exhibentur: « Cum ap-
« parebit, emptorem conductoremve pluribus ven-
« dentem vel locantem singulorum in solidum intuitum
« personam, ita demum ad praestationem partis
« singuli sunt compellendi, *si constabit esse omnes*
« *solvendo*; quamquam fortasse justum sit, etiamsi
« solvendo omnes erunt, electionem conveniendi,
« quem velit, non auferendam actori si actiones suas
« adversus ceteras praestare non recuset. »

In jure francico etiam idem principium animad-
vertimus; legimus nempe in Codice Napoleontico (3).
« La solidarité ne se presume point, il faut qu'elle
« soit expressement stipulée, » ex quo articulo etiam
nostri codicis constitutio profluxisse videtur, qua
expresse notatur. « Geene verbindtenis wordt voor-
« ondersteld hoofdelijk (?) te zijn, ten zij zulks uit-

(1) Fragm. VIII § 1, de legatis I. fr. XVI de leg II.

(2) Fragm. XIX § 9, dig. locati conducti (XIX 2); vide auctores citatos apud Gluck IV pag. 511 nota 32, imprimis fr. 191. § 2, dig. de RI.

(3) C. N. art. 1202, ibique interpretes, Touillier et alii.

«drukkelijk bepaald is (1).» Quum ita nostro jure, et fere omnibus codicibus (2) claris verbis expressum sit hoc principium, quod etiam et aequitas et juris universi ratio approbat, non dubito, confirmare, numquam solidariam obligationem praesumendam esse.

Solidariae obligationis vis et effectus praesertim ad duo potest referri: I Reorum credendi unus quisque totum debitum potest exigere (3), et eo dato statim a debitorum parte omnis obligatio extincta habetur, licet ille, qui in solidum solvit, ad indemnitate cum correis semper recte agat (4). II Quia pro uno debitore omnes correi debendi considerantur, quisque etiam in solidum solvat necesse est (5). Omnia ea, quae unius sunt mere personalia, ad alios trahi nequeunt, sic mora, in qua unus est, vel poena, sub qua obligationem susceperit, aliis numquam nocere

(1) CC. art. 1318.

(2) Quum secundum plerasque leges in solidum obligatio est exceptio, quam expresse, debet esse stipulatam, sic contra in Borussia semper praesumitur, quamvis contrahentibus ante contractum jam initum, expresse hanc excipere liceat. Cf. Allg. Landr. für die Preuss. stat. § 424 et 425. In Anglia vero nostrum principium summo rigore tuetur jurisprudentia. Merlin Repert. de jurisprud., voce *société* Section II, § 3, art. 2.

(3) Fragm. XVI dig. de duobus reis CC. art. 1314.

(4) Fragm. VI pr. dig. ad legem falcidiam (XXXV) 2),

(5) CC. art. 1316, § 1 Inst. h. t., fr. III, § 1, Dig. eod; ubi est: «a singulis peti posse, dubium non est» Jure Romano quaestio est, utrum beneficio separationis uti possint correi, nec ne. Cf. Mühlenbrück doctrina pandectarum II 8492, n°. 8, jure nostro iis hoc denegatum est CC. art. 1315, 1319, 1869, n°. 2. Glück pag. 525, sqq. coll. Nov. XCIX hoc iis tribuit nisi delicti sint socii.

possunt (1); jurisjurandi ad unum delatio, si personam, non obligationem spectet, ad alios non pertinet (CC. art. 1795), debiti unius eorum liberatione, alii non liberantur (CC. art. 1315 aliena 2 coll. 1476) (2); culpam et dolum is praestat, qui commisit (CC. art. 1321). Ea autem, quae ad obligationem ipsam pertinent, ad omnes jure referuntur, inter haec est: praescriptionis interruptio (art. 2022), debiti ipsius liberatio (art. 1476), rei interitus (art. 1321) exceptio personalis, quae non ab uno contra totam obligationem moveri potest (art. 1313 coel 1466), alia..

Vel tota solidi obligatio perimitur, vel ea unius correorum debendi tantum exstinguitur. Omnes correi, et nostro et Romano jure, liberantur: unius solutione (CC. art. 1816), rei interitu; liberatione totius debiti omnibus (art. 1315^{2/}), novatione unius 1460^{1,2}. 1460^{3/}), jurejurando de ipsa re (CC. art. 1976) (3). Sic Pomponii jam haec sententia in fr ult pand h. t., occurrit « multum enim interest, utrum res ipsa solvatur an persona liberetur, cum persona liberatur « manente obligatione, alter durat obligatus, et ideo

(1) Fr. 34 pr. dig. de recept., fr. 32, 54 dig. de usuris (XXII 1), « Quia » ut dicit Justinianus IV C. Cod. eod. « ex uno fonte unus effluit contractus. »

(2) Sic et iam quisque correat credendi liberare potest debitorem, utrum vero hoc aliis correis noceat adhuc disputatur. Gluck pag. 20 distinguit utrum socii sint nec ne. Contrarium quaestionis est, an, accepto toto debito, cum aliis credendi reis dividi id debeat, quod pag. 519 negatur a Gluckio.

(3) § 1 Inst hoc tit. fragm. III, Dig. de duobus reis; fragm. 31, 1 dig de Novationibus (46. 2) fr. 26, 27, 28 pr. dig. de jurejur (XII. 2). Gluck Erlaut der pandecten IV, bl. 510—529 copiose de universis correalis obligationis principiis egit. Cf. ibiq. citati.

« si aqua et igni interdictum est, alicui fidejussor
« postea ab eo datus, tenetur » Sic etiam his modis
unius correorum solvitur obligatio, confusione (CC.
art. 1334) liberatione, (art. 1326) partis debiti accep-
tione (art. 1326); tacita per decem annos usurarum
datione (art. 1327), denique jure Romano capitis
diminutione maxima et media (1).

Haec de solidaria obligatione in universum suffici-
ant. Ad eam transeamus, quae in rebus mercatoriis
imprimis secundum nostrum codicem obtinet; pri-
usquam vero hoc indagamus, de historia hujus
principii nonnulla adferemus.

CAPUT SECUNDUM.

*Quomodo solidaria obligatio universe sic se
extenderit, ex historia indagatur.*

Wir befragen zuerst die Geschichte.

VON SAVIGNY.

Quia, ut postea videre licebit, ex historica illa
inquisitione, imprimis pendet auctoritas, quam sen-
tentiis nonnullorum aut tribuere aut denegare debe-
bimus; primo loco videamus, quomodo universe
mercaturae principia se extenderint, tum in specie

(1) Cf. fragm. ult. Diges h. t. De obligationibus in solidum universe
in rebus civilibus consultissimus vir scripsit C. Cornelis dissertation inaugu-
ralem LB. 1848.

de vestigiis juris Romani denique in sequentia tempora spectemus.

§ 1.

Quomodo ipsa mercaturae principia universe se extenderint.

Quae codicibus receptae sunt constitutionum vestigia jam saeculo X sqq. in Italia invenimus; nam licet alii populi mercaturae theoriam explicuerint, in Italia praxis, et, ut ita dicam, mercaturae idea antiquitus se excoluit, quae etiam postea mercatorum jus consuetudinarium, a recentioribus vocata est (1). Italia antiqua numquam mercatura floruit (2), et licet post Barbarorum invasiones pluribus turbis, bellisque vexata esset, tamen quaedam civitates jam saeculo X mercaturam maritimam exercuisse traduntur. Quae causa sit, cur ea hoc tempore se explicuerit, adhuc sub iudice lis est: «Wahrscheinlich lag sie aber in dem kräftigen aufstreben des langen, durch die Volkstürme gedrückt gewesenen Geistigen Lebens, nachdem es einmal angeregt und wieder erwacht war» (3). Ut ut est, saeculo X urbes Genua, Pisae Venetiae, Amalfi mercatura certe

(1) J. A. Park, On. Insurance I vol. Introduct, pag. 43, Lond. 1802. Universe, magis exulta jurisprudentia, ad antea nimis neglectos Italiae jurisconsultos, nostrae artis periti convertere se solent.

(2) Montesqueui, Espr. des Lois XXI, Chap. 14.

(3) Dr. W. Hoffmann, Geschichte des Handels und Schiffahrt aller Völker, etc. 2^a. Auflage, Leipzig 1847, bladz. 365.

florebant, et foedera quae cum iis Henricus IV in-
iit, anni sunt 1081, 1114 et 1116 (1). Quum vero
per cruciata expeditiones Italiae cum regno Byzan-
tino commercium concessum sit, et libertatem con-
tra imperatores tueretur Italia, omnes ejus mercatores
justa scientia summoque ardore se mercaturae dede-
runt. Certa principia semper a mercatoribus in usu ha-
bita, in tota Italia recepta, pro lege valere inceperunt
et quum semper populus minus cultus se a cultiori
doceri facile sinat, Italique eo tempore in mercatura
summi, jure dicerentur, a tota Europa reliqua ea-
dem principia accepta fuerunt. Ita « tous les com-
« mercans de l'Europe, consideres en cette qualité,
« formaient vraiment *un* peuple, qui se regissait
« par ses propres lois (2) ». Hoc tamen magis eo
tempore, quam his diebus, quibus codices diversi
recepti sunt, valuisse, non est quod multum dispu-
temus. Foedera nunc Italiae urbes inierunt: sic Genuae
urbes memorantur cum Armenia (1205), Grenada
(1178), Aegyptiaco regno (1290), foedera; omnes
civitates exterae Italici privilegia concesserunt; in
urbe Tuneto libero introitu in portum gaudebant,
Alexandriae duo eorum mercium horrea inveniebantur,
et libertatem, commerciumque quam maxime
mari tuebantur. Institutum, quo potest intelligi,
quid Italorum commercium hoc tempore valeret,
consulum est mercatorum, quod non nisi foederi-

(1) Muratori Antiquitates Italiae medii aevi, II 882 sqq. IV 19 sqq.

(2) A. Fremery, l. c. pag. 13. Citati apud Hoffmann, l. l. pag. 365, in nota.

bus conceditur, et libertatis testimonium semper habitum est. Consules illos in Italia primos constitutos esse, omnes contendunt; in urbe Messena anno 1128 primi occurrunt postea per totam Italiam vim obtinuerunt, ita ut Cuetae etiam esset summus consulatus, et inde in universam Europam migrasse constat (1). Hi consules omnibus, quae ad mercaturam pertinerent Italiae, summo studio sua jurisdictione favebant, et foederibus stipulabatur, ut *cambiatorum* et *negotiatorum* jura imperatores semper tueantur (2).

Quomodo vero ex Italia ad alios regiones Europae hae consuetudines migrarint, ex *mercataum* (jaar-markten jaarmessen) historia maxime est efficiendum. Religionis causa primis temporibus populi conveniebant, sed quod fuit religionis postea fiebat utilitatis. Venditores ad illos mercatus proficiscebantur, emptoresque sciebant, imprimis ii, qui rure degebant, tempore quodam fixo ex magna mercium varietate eligere sibi licere. Quo summo momemto hi mercatus essent medio aevo, ex iis patet, quae in urbe Lugduno (Lyon) indicebantur, et ad quos

(1) Hoffmann l. c. bl. 370. Vattel droit des Gens I. Liv. II. Ch. II, de Martens precis du droit des Gens etc. § 147 sqq. Ab Italia primo in Hispaniam transit hoc institutum, sic in Decisionibus rotae Genuae, Dec. 139, n^o. 10 cit, «Genuensis est ergo mercator.»

(2) Fremery, l. c. 87—97. Idem pag. 13. not., memorat inscriptionem in lapide, in ecclesia urbis Luccae incissa, qua cambiatores et specarii (épiciers) in contractibus semper «doivent agir loyalement.» Sunt etiam qui, dicant litterarum cambiarum usum Florentinis esse inventum Cf. Holtius, Wisselregt in de XIV eeuw. Jaarboeken voor Regtsgel. en Wetgeving, IV 492 et vir ampl. H. I. Koenen, Geschiedenis der Joden, bl. 412 sqq. coll. bladz. 20

egregio hujus urbis jure litterae cambiales scribi solebant. Horum institutorum enim imprimis hoc erat cōmodum: in emptione venditione tempus valere fixum, quod semper difficultates obtinet in jure consuetudinario. Ad hos mercatus sic omnes populi proficiscebantur, quorum merces permutare intererat; et ita imprimis Italos ad hos venisse dubium non movet. Ordinationibus « *sur les foires de Champagne et de Brie* » in Francia Italogum argentaria translata sunt, quarum Venetiis prima habebatur (camera, banco del giro) (1). Saeculis XII et XIII societatum mercatoriarum vestigia in Italia inveniuntur. Exstabat nempe ille: « *contrat de commande* vel *pacotille*, quo nautae vel alii mercatori merces vel pecunia dabatur, ea lege, ut iis lucrum faciat et lucri partem accipiat. Nomen hujus contractus in nostra societate *commanditaria* superest (2). Postremo loco assecuratio reliquis accessit contractibus, quae imprimis, extensa mercatura, in mari mediterraneo, usu recepta videtur. Fructus est medii aevi: Romani enim, licet iis non lateret foenus nauticum, assecurationem non noverunt. Dubium autem manet, utrum Itali an Hispani hujus contractus sint inventores. Hoc tantum scimus, publicationem adesse de assecuratione, quam Barcelonae toparchae jam Anno 1135 dederunt (3). Inventa a Vasco de Gama ad Indiam

(1) Has ordinationes exhibet Fremery l. c. p. 14, sq. Argentaria urbis Lugduni etiam a Florentinis instituta dicuntur.

(2) Pardessus collection des Lois marit., III n°. 702, 703 et l., pag. 276, 281.

(3) Cf. pro Italis, Beckmann, Gesch. der Erfindungen: voce As-

orientalem per mare via, merces omnes, quae olim per mare mediterraneum transferebantur, ad Italos non amplius veniebant: in oblivionem sic abierunt urbes Venetiae; nec non Genua. Pisa, aliae. Auctoritate in rebus mercatoriis paullatim destituta est Italia, sed mater tamen semper manebit juris illius consuetudinarii, quod unius corporis instar per totam Europam medio aevo vixit (1).

Ante haec duo vel tria saecula, theologi omnia ex sacra scriptura, Iurisconsulti; ex digestis explicare posse contenderunt. Jurisprudentiae quid prosit jus Romanum, omnes tenent sed plura sunt, quae postea ex crescente humanitate moribusque mutatis inducta, Romanis plane incognita fuerunt. Sic frustra Heinccius in libro suo, magno studio inquit, cui contractui Romano contractus cambialis aequiparandus sit, nec enim Iurisconsultis nec Imperatoribus quid cambium esset, cognitum fuit. Alia tempora, consuetudines legesque alias afferunt. Quod ad mercaturae disciplinam, in hoc saepe errarunt antecedentium saeculorum juris consulti, qui potius spectare debuerant, e qui novo fonte nova exstitissent; eorumque perversa inquirendi ratio juris mercatorii studio universe nocuit.

Aliud superaccedit, sc. lex. Quaestionem de codicibus motam non repetam. Populo vero opus esse

securancem, pro Hispanis Don Antonio de Capmany Memorias, etc. II pag 383.

(1) Traver Twiss View of the progress of political oecon: London 1844, Lecture II initio:

lege fere omnes consensere, nisi lex cum moribus pugnet, nec iis conveniet, moresque non lege sanciti sint (1). Diversa ratione pro diversis populis sic codicibus mercatorum consuetudines sunt receptae, quod enim una lex permisit; altera prohibetur. Queritur Fremery pulcrum illud consuetudinum corpus quod pro una lege omnibus Europae mercatoribus habebatur sic lege disjungi et evanescere. Quod ad aestheticam rationem, probandum mihi videtur non item quod ad jus. In diversis regionibus, diversae leges sint necesse est. nam moribus lex debet convenire, si vero omnibus populis unum universum jus consuetudinarium daretur, singulorum moribus hoc convenire non posset, et idem huius inesset vitium, quod etiam Napoleontis proposito inerat, quo omnibus Europae populis unam universam legem dedisset (2).

Cum lege, Jurisconsultorum cohaeret interpretatio; et iudicum sententiae. Libenter cum iis facimus, qui querantur de mala legis ordinatione, de quaestionibus pluribus, de pugna inter plures iudicum sententias; facimus etiam cum iis, qui non ita codicem accipi velint, ut « legis verba teneamus, non « vero eorum vim et efficacitatem » (3), sed simul abusum rerum nil contra usum probare posse contendimus. Eadem confusio in jure consuetudinario universo exstaret, nam cum lege etiam ipsa merca-

(1) Cf. praeclarum opus. von Savigny von Beruf unsrer zeit für gesetzgebung.

(2) Fremery bl. 19.

(3) Paulus in fr. 17 dig. de legibus (I 3).

tura progreditur. Jus usuum esse antiquum (1) nil probat; bonam rem illustrare potest antiquitas, justam numquam injustam reddere potest. Lex sic paulatim repulsit consuetudinem, quae tamen juxta legem vigere perrexit, imprimis in his rebus, quae ad formas pertinent, vel in iis, de quibus tacet legislator. Utrum de his coram judice agi possit, nec ne, facti magis quam juris erit quaestio. Si lege vero receptae sint consuetudines, quaestio non eadem manet; tum enim lex corpus est consuetudinum. Hoc contra se ipsum affirmat Fremery pag. 35 dicens «les principes de la coutume sont repétés par les auteurs et sanctionnés par la jurisprudence.» Saepe tamen lex aliquid statuit, quod usui fuisset relinquendum, puta legem An 1807 de usuris (2).

Universe vidimus, quomodo usu et lege, mercaturae principia se extenderint; revertendum nunc est ad ipsum argumentum, ut in specie idem de obligatione solidaria videamus. Et primum sic Romani nobis se offerunt.

§ 2.

De solidi obligationis vestigiis apud Romanos.

In eo imprimis aliis praecelluerunt Romani, quoniam, in jure tractando, non studebant, ut codices

(1) Fremery, bl. 21.

(2) Fremery ct. XIII recte contra hanc legem disputat. Assensuerunt quoque fere omnes oeconomiae politicae auctores. Say traité II 243. Voltaire diction. voce *Interet*. De progressu juris mercatorii cf. Discours sur l'origine et les progrès de la législation et jurisprudence commerciale par Pardessus ante ejus cours de droit commerciale Bruxelles 1822, Tom. I.

conficerent; sed potuis ut veram rerum naturum explicarent. Plura juris principia, quae sic saepe usu et necessitate in codicibus violata sunt, salvo servantur in jure Romano. Sic etiam, quod ad nostrum argumentum, non nisi paucis casibus in solidum aderat obligatio, quum ea semper a volentibus contrahebatur, acquitasque monebat, neminem teneri ultra id quod suum diceret; unde haec profluxit regula «neminem teneri nisi ex re sua» (1). Valente hac regula dubitari non potest, quin solidi obligatio apud Romanos non valeret nisi expresse esset stipulata, vel, ut in re individua, ex ipsa re sequeretur (2).

Loci, in quibus correalis occurrit obligatio, imprimis sunt, de duobus reis constituendis, porro de heredibus testamentariis, de re individua, de criminis societate, de tutoribus simul unam tutelam gerentibus, de magistratibus qui rem individuan gerunt, de exercitoribus et institoribus, denique de fidejussoribus et societate, de quibus pauca afferre nunc mihi liceat. Quae indagatio non ita se habebit ut, quod de jure Romano dici posset, omnibus numeris absolutum tradam, sed potuis ut omnia attingam, e quo solidi obligationis vestigia apud Ro-

(4) Fr. 73 § ult. Dig. de regulis juris § 18 Inst. de inutili stip. Fr. II C ne uxor pro marito (IV 13).

(5) Fr. V § 15 dig commodati (XIII 6) fr. I § 43 dig depositi (XVI. 3). Vide auctores citatos apud Glück l. c. IV pag. 511 nota § 3. supra cap. I § 3 imprimis fragm. 39 § 6 dig de legatis II et fr. 39 dig de legatis III. In const II cod eod dicitur «si probaveris te conventum in solidum solvisse» Cf. etiam Nov. 99.

manos patere possent, quod reliquae inquisitioni sane non a re erit.

Stipulatio jure Romano praecipue eo tendebat, ut omnis contractus vel nominatus vel innominatus ea firmari semper posset, sic duorum vel plurium stipulatione, omnem contractum correalem efficere, contrahentibus licebat (1). Stipulatio illa primis temporibus solennibus verbis fiebat donec Leo imperator constitueret, eam quoque valere, si interrogationem, congruum responsum secutum esset (2). Correale obligatio sic fiebat: «Maevi quinque aureos «dare spondes? Sei eosdem quinque aureos dare «spondes.» respondet quisque pro se «spondeo» (3) Namsi rogaretur «spondesne dare Kalendis Ianuariis «centum?» et responderetur a Maevio et Sejo «spon- «deo» tum duo illi conjunctim centum dare spon- derint, et ita unicuique quingenta solvere liceret (4). Debendi correi vero utrum simul an separatim promittant, parvi est momenti (5). Solidum vel partes recte tamen ab unoquoque correorum creditor exigit et unius solutione liberatur alter (6). Interrogatio vero sic quoque potest instrui: «spondetisne?» Si nunc responderetur a singulis: «spondeo» vel a duobus: «spondemus;» et ita quoque: «spondes»

(1) Gajus III, § 92.

(2) C x C de contr. stipul.

(3) Pr. Inst. de duobus reis.

(4) Fremery l. c. pag. 24.

(5) Ulpianus in fr. III. pr. dig. de duobus reis.

(6) Fr. III, § 1 eod. C. III C. eod.

si responsum esset « spondemus » (1). Tempus in hac formula addi potest, intra quod responsio sequi debet, quod si non adjectum sit non valet; e. g. responsum, quod die sequenti fit (2). Si autem rogatum sit « spondetisne » et unus modo diceret, alter sileret, ille qui respondebat, non tenebitur, donec alter quoque obligationem in se suscepit (3). Unus sub conditione, pure obligari potest alter, sed tunc nil impedit, quominus ab eo, qui pure obligatus sit, totum debitum requiratur (4). Ex rogationis specie imprimis correalem pendere obligationem vidimus; sic fr. XI, § 2 haec leguntur: « tot aureos « recte dari stipulatus est Julius; spondimus ego « Antonius, et Cornelius. In hoc exemplo non solitaria est obligatio; quemque virilem partem dare « sufficit. » Nam regula est « quando duo vel plures « se obligant, singuli obligantur pro rato et si « duobus vel pluribus promittitur, singulis debetur « pro rata. » Cum eo, quocum agi non potest, puta pupillum, servum, non correat, sic ipse pro toto teneris. Praecipuus ut vidimus, correalis obligationis effectus hic est; pro uno debito duorum sponsio,

(1) Fr. IV dig. eod; elegans hujus rei exemplum occurrit in Plauti Trinummio Act V sc II ver 39, ubi Lysiteles juvenis quaeit.

Istac lege filiam tuam spondes? mihi uxorem? Charmides pater respondet:

Spondeo.

Sed addit Callicles amicus.

... et ego spondeo idem hoc.

(2) Fr. VI, § 3 eod coll. fr. XIV pr.

(3) Fr. VI pr. dig. eod.

(4) Fr. VII dig. eod.

duoque correi debendi vel credendi pro uno debitore vel creditore considerantur; quod paroemio exprimitur: « unus pro omnibus, omnes pro uno (1). Promittendi reus tamen actionem dividere potest, licet dividere non coactus sit (2). Haec omnia nec iniqua, nec contra juris rationem sunt, omnes debendi correi enim quasi creditoris esse fidejussores intelliguntur (3).

Judicis sententia saepe dabatur solidaria obligatio pro poena. Sic duos vel tres condemnare potest iudex, ut quisque eorum teneatur in solidum (4). Quod perspicuis verbis Alexander imperator explicavit, Const. I Cod. si plures una sentent etc. (VII. 55): « Si non singuli in solidum sed generaliter tu et « collega tuus, una et certa quantitate condemnati « estis, nec additum sit, ut, quod ab altero servari « non posset, id alter suppleret, effectus sententiae « pro virilibus portionibus discretus est » (5).

Plures tutores simul eandem tutelam gerentes, in solidum ex jure Romano teneri, e quibusdam locis apparet, sic quaestio occurrit, quatenus tres tutores teneantur, quorum unus solvendo non est, secundus nil fecit, et tertius administrationem in se suscepit. Tryphoninus omnes teneri putat, addita praeclara ratione: « tutorum periculum commune est in ad-

(1) Fr. III dig. eod. Const. I cod. eod.

(2) Fr. XI, dig. eod.

(3) Fr. XV pr. dig. eod. fr. 34 Dig. de Recept.

(4) Fr. 43 Dig. de Re judicata (XLIII. 3).

(5) Cf. omnino Sell. Zeits. für Civilr. und prax. III, pag. 415.

« ministracione tutelae et in solidum uniyersi tenentur. » Si vero inter singulos pupilli pecunia, partibus inaequalibus, divisa sit, nemo tutorum tenetur, ultra id quod administrat (1). Inde coll. Const. II C. de dividenda tut. (V. 52) cotutores in solidum omnes teneri, si nondum divisa sit eorum administratio, nullamque ante hanc divisionem exceptionem iis restare, si vero jam divisa sit tutela quemque ex re sua teneri idemque apud curatores obtinere, effici forsitan posset (2).

In solidum tenentur, ex eodem principio, magistratus si unum munus gerant. In his vero hoc singulare occurrit, illum, qui magistratum creavit non idoneum, ut fidejussorem ante omnes teneri, postea quemque magistratum suum solvere debere, et demum alios obligari, si ex rebus suis solvendo ipse non sit. Ex hoc, apud Romanos stipulatam esse expresse obligationem correalam, eamque quasi exceptionem esse, rursus apparet (3). Si de civitatis indemnitate quaeratur, administrantis ejus collegarum bona primo obligari fas esse dicitur (4). Ad magistratum heredes obligatio vero non transit. Porro animadvertere non opus est, haec omnia non valere, si munus quod simul gerebant non individuum diceretur (5).

(1) Fr. 51 pr. de adm. tutelae (XXVI, 8).

(2) Cf. etiam C. VI Cod. Arbitr. tutoris (V. 51) et Voet ad Tit de mag. conv. n^o 6.

(3) Fr. XI dig. ad Municipal et de Incolis (L 1).

(4) C i C quo quisque ordine conveniatur (XI. 35).

(5) C n C. eod. Simile quid occurrit in ministrorum collegii responsabilitate, qualis hodie multis regionibus viget.

In solidum tenentur fidejussores, ita ut creditor, a quo velit solidum petere, et si mallet, debitorem vel fidejussorem ejusve heredes convenire potest. Hoc firmavit Hadrianus imperator (1). Lege Apuleja de eo, quod fidejussores plus quam portionem dedissent adversus debitorem actionem habebant. Lege Furia vero biennio liberabantur sponsores et fidepromissores; perpetuo tenebantur fidejussores (2). De re nostra recte dixit Gajus (3): « et non solum « ille, qui debitor est, sed et is qui fidejussor « existit, obligantur. Creditor autem, qui pecuniam « dedit, in potestate habet ad reddendam pecuniam, « quem velit tenere, utrum ipsum debitorem an « fidejussorem; sed si debitorem eligeret, fidejussores « absolvit, si vero fidejussores tenuerit, debitorem « absolvit, quia, uno electo, quem idoneum judicet, « creditor alterum liberet.» Contrarium obtinet in eo, cujus mandato pecunia alicui creditur (4). Immo duos correos fidejussores, fidejussores vicissim jure Romano correos haberi, Iulianus affirmat (5). Fidejussione sub hac formula suscepta: « si non solverit, « fide mea promitto, me solitum esse, » fidejussor in solidum tenetur, si reus occumberet, antequam debitum praestitum esset; sed cum debitorum,

(1) § 4, Inst. de fidej.

(2) Gajus III, § 121, 122. Heineccii Ant. Synt. ed Mühlenbruchiana, pag. 557, § 8, nota.

(3) Instit. II, Tit IX, § 2 ibig. Schulting, in corpus juris antejustin.

(4) Paulus sent. Rec. II Tit. 17, § 16. Cicero ad Atticum XVI. Ep. 15. Walter Ges des Röm. rechts II pag. 232.

(5) Fragm. XV dig. de Condict. indeb. (XII 6).

heredibus ad indemnitatem agere tunc fidejussori licebat (1). Postea inductum est divisionis, quod dicitur, beneficium, et si toto solvendo non esset debitor principalis, fidejussor pro reliqua parte tenebatur. Const. III eod de fidej. (VIII 41). Si vero unus ex pluribus fidejussoribus solverit, id suo periculo fecit (2). Sic antiquo jure plures fidejussores solidum solvere debebant, non item postea, sed ex re ipsa sequi, etiam plures in solidum posse obligari, ultra apparet.

Si res individua factumve individuum sit, quod promittitur, in solidum quoque debendi correi tenentur. Illud vero quod promittitur, duobus vel pluribus dari, vel ab iis praestari *posse* debet; ita vehiculi usum duobus commodatum non esse in solidum, licet culpam dolumque praestare quisque debeat, sed e. g. balnei vel campi usum in solidum esse affirmat Celsus (3). Si alter sic, quod deberet, praestiterit, liberabit alterum, et ambobus competit furti actio. Ea in solidum actio quoque ad heredes transit, et rei credendi, a quonam velint, totam viam, aquaeductum etc., poscant, quia jam XII tabulis, hac actiones fuerunt indivisae (4): Sic etiam heredes tenentur si testamento individua res

(1) Add. fr. XVI, § 6, Dig. de fidej. (XLVI. 1).

(2) § 4, I. de fidej. (III XX) Strictissimum jus est in Const. XXVIII. Cod. de fid. (VIII 41).

(3) Fr. V § ult dig. Commodati (XIII 6) coll. fr. II, § 6, dig. de V. O. (XLVI).

(4) Fr. XVII, dig. de servitute (VIII 1).

legata sit (1), et universa regula est: « ea, quae
« in partes dividi non possunt, solida et a singulis
« debentur (2). »

Correalis obligatio etiam in heredibus locum obtinet. Si enim ita scripsisset testator « Sejo vel Maevio
« quem velit, heres decem des, » et nemini heres
solvit, Sejo *et* Maevio competit ex testamento actio.
Si tamen ita scripsisset: « Sejo vel Maevio centum do
« lego, » cessat haec legatariorum facultas (3). Sed
testator heredes etiam scribere ita potest testamento,
ut omnes in solidum teneantur ad aliquid faciendum
vel praestandum (4). Perspicuis verbis expressum
esse hoc debet nam « in re dubia correalis obligatio
« cessat, » qua regula alia haec, « nunquam solida-
« riam obligationem praesumi » rursus affirmatur (5).
Iure Romano formula: « Titius et Maevius Sejo decem
« dato, » correalem obligationem jam continebat,
non quia formulae inerat; sed quia sic jurispru-
dentia et usu erat receptum (6). Hodie profecto
aliud obtineret.

Expressa lege illi, qui simul rem deposuerant a
depositario omnes totam rem repetere poterant (7).

(1) Fr. VII, dig. de servit. leg. (XXXIII 3).

(2) Fr. 192, pr. dig. de R. I.

(3) Fr. VIII, dig. de leg. I, fr. 25 dig. de leg. III, fr. 16. Dig. de leg. III, fr. 16, dig. de leg. II. Coll. C. IV C. Verb. Sign.

(4) Fr. IX, dig. de duobus reis.

(5) Fr. XXXIX, § 6, dig. de leg. I, fr. 25, dig. de legatis III.

(6) Cujacius Quaest. Libr. 17. et Gluck, l. c. IV, bl. 516, nota 49.

(7) Fr. I, § 44, dig. depositi.

Correalem obligationem in delicti sociis adesse monet jurisprudentia, monet quoque utilitas publica (1); si enim de actione de damno resarciendo, quae locum occupare solet juxta actionem poenalem, loquamur, quisque, a quo sic totum damnum postulatur, illud resarciat necesse habet, qua solutione alii vero liberantur (2). Idem manet, re aliqua dolo culpaque peracta; de dolo dixit Ulpianus (3): Gajus de culpa (4). Hoc vero imprimis tenendum est, in actione poenali cessare correalem obligationem, quia poena delicto convenire, et sic quisque de re sua teneri debet, ut Paulus id jam exprimit « tot injuriae sunt, quod personae injuriam facientes (5), » unde obligatio personalis in delictis esse videtur. Hac in doctrina vero non eadem, qua solebant, perspicuitate usi sunt Romani, quum duobus aliis in locis (6), qui aliquam occiderit, si ignotum esset, quis fuisset actor, omnes tenentur, sed ita ut, uno punito, alter non liberaretur. Mira haec doctrina videtur: delinquens adest unus, vel plures ad unum crimen concurrentes; sed si de uris

(1) Socii h. l. non est « *complices* : » sed coactores *mededalers* ut dicuntur in codice novissimo nostro.

(2) Gluck 517, n^o. 4, ibiq. citati.

(3) Fr. I, § 4, dig. de eo per quem factum, etc (II 10).

(4) Fr. I, § 10, fr. II, dig. de his qui effuderint. Ratio illa, qua omnes qui uno coenaculo habitant unde dejecta sit res, in solidum teneantur, quia ut ait Gajus, impossibile est scire quis dejeceit, aequitati nequaquam convenire puto. Tamen inde patet, quo stricto jure etiam a delicti sociis culpa in solidum petatur.

(5) Fr. 34, dig. de inj. (47. 10).

(6) Fr. XI, § 2, fr. 57 dig. ad legem. Aquiliam (IX. 2).

dolo non pateat, omnes delinquentes esse praesumere ultra veritatem, ultra aequitatem, ultra jus esse mihi videtur.

Plures exercitores simul unam navem exercentes tenebantur in solidum (1), etiam de eo, quod peregre navis magister, vel ex necessitate vel ex utilitate cum aliis contraxerit. Exercitores tunc vero quasi societatem inire et unitatem (?) facere debebant; nam si plures separatim per se navem exercent quorum unus ne alterum quidem adesse scit, etiam ex jure Romano singuli viriles partes solvebant (2) solidi obligatio in hac re probavit Gajus (3), Grotius vero improbavit (4), et ex utilitate et ex securitate publica: Gajo forsitan assentiendum est (5). Institor quoque in solidum tenetur (6), etiam ille dominus, cujus servus communis aliquid contraxerat (7). Aliud principium vero nostro codice receptum est, quo quisque exercitor, non ultra portionem (portie scheeps) tenetur (8).

Ad correalis obligationis, quae in exercitoribus occurrit, normam etiam in solidum omnes tenentur,

(1) Fr. I § ult. dig. de exc. act.. (XIV. 1) Pardessus Lois Marit. I, pag. 96, 97. Fremery, bl. 181.

(2) Fr. IV, pr. dig. eod.

(3) Fr. II, dig. de exc. act.

(4) De Jure Belli ac Pacis II, cap. XI, § 13.

(5) Vir ampl. W. J. C. van Hasselt, diss. de exercitoria actione L. B. 1820, pag. 20 et 52 sqq.

(6) Fr. XIII, § 2, dig. de Inst. act. (XIV. 3).

(7) Fr. 27 § ult. dig. de peculio (XV. 1).

(8) Art. 321, alin. 1. Cod. Merc.

qui societatem inierunt (1). Illi etiam solvere debent ex bonis, quae extra societatis sortem (kapitaal) possident. Beneficium divisionis datum iis non est. Quaestio mota refertur, utrum omnes in solidum teneantur, si ceteri solvendo non sint; sunt qui negent, ex ea ratione *omnes* teneri ex sua parte, in obligatione correali, si vero ceteri sunt decoctores, non amplius *omnes* teneri possunt et cessat correalis obligatio. Recte tamen alii contra animadvertunt illud *omnes* tantum ad eos referri posse, qui solvendo sunt (2).

Haec praecipua de jure Romano sufficiant, ad alia tempora transeamus.

§ 3.

*Quomodo haec principia, postea se excoluerint,
historice indagatur.*

Errorum magnum plures illi errarunt, qui de aliquo argumento scribentes, primo de jure Romano, postea de jure nostro dicere solebant. Huic inquisitioni nempe, medii aevi doctrinis plane neglectis, plura semper desunt. Hoc quo vivimus saeculo etiam antiquiores scriptores imprimis Italos studiis juris adhiberi, in consuetudinem venit. Ad haec tempora reclamare solent ii, qui consuetudinis vim contra legem vindicant; et cum iis in arenam descendere

(1) Cf. imprimis, Gluck l. c. Tom. XV, pag. 466, sqq.

(2) Gluck XV, p. 468.

non possemus, nisi eosdem auctores legamus, fontes-que indagemus, e quibus ipsorum doctrinae manarunt. Quod ad nostrum locum, libros, qui de re evolvendi sunt, referre mihi est: Decisiones Rotae Genuae, Saeculi XV et Straccha de mercatura, circa annum 1570 scribens, qui in uno volumine collecti sunt in Ed. Coloniensi An 1622, qua etiam uti mihi contigit.

Stipulatione recte facta, correalem omnem fieri obligationem posse vidimus; sed postea, instrumentorum magis usu inducto, stipulationes in scriptum redactae, vim obtinere quoque poterant: « Si scriptum in instrumento fuerit, *promisisse* aliquem, « perinde habetur atque si interrogatione praece-
« dente, responsum sit » (1).

Sed usus, qui medio aevo, imprimis in Italia, mercaturae summa erat lex., alia plura addidit, quae non ex jure Romano, sed ex mercaturae et ipsius medii aevi principiis exstitere. Quum vero jus scriptum non valeret, sed illud, quod consuetudinarium dicitur, de consuetudine ipsa pauca afferam ex ejusdem ipsius aetatis scriptoribus.

Consuetudo pro lege habenda est, sed semper pluribus modis temperanda, quum et iam penes judicem est, illam ad res varias referre, et quid contractum sit, inquirere (2). Jurisprudentia porro, sententiisque curiarum consuetudinis exceptiones plures inductae sunt (3). Has pro legibus admissas

(1) Paulus Sent. Rec. V, VII 2.

(2) Straccha de Mercatura II, n°. 88.

(3) Id. Mandati, n°. 47.

tamen semper per consuetudinis rationem explicare veteres solebant, quum vel ipse Straccha admonet: «Consuetudinem optinam esse legum interpretem»(1), quod imprimis in contractibus explicandis locum obtinet, ut ea in rebus nauticis imprimis attendetur(2). Quas sententias mercatorum curiae dicebant saepe pro iure consuetudinario valere perrexerunt (3), quod confirmationis quoque non indigebat. Ita et iam in Decisionibus Rotae Genuae legimus: «Communis observantia (a qua recedere non licet), et «fori mercatorii consuetudo, utique servanda est»(5). His vero temporibus de consuetudinis malae vigore scriptoribus actum est, de qua praeclare Straccha ita memorat: «Accedit, quod mala consuetudo vim «consuetudinis perdit, et dicitur usurpatio; et consuetudo rationalis esse debet, ubi enim est contra «rationem et contra aequitatem naturalemque rationem, non est admittenda» (6). In hoc etiam juris periti conveniebant, consuetudines unius loci, in altero non vigere, nisi generales sint (7), quae ubivis spectanda est. Consuetudines introduci non poterant, nisi ab iis qui potestatem habebant legis

(1) Id. de sponsionibus III 6. Quomodo in rebus mercatoriis etc. De probatione, n°. 12.

(2) Id. de sp. II, 6.

(3) Id. de Nautis III 28, de Navibus III 9, de Navig., n°. 24.

(4) Id. Quam in rebus merc., n°. 8, 9, 53.

(5) Dec. Rot. Gen. XXXIX, 8.

(6) Straccha meae ed. p. 403, n°. 7.

(7) Tractatus de Assecurationibus post Straccham, editus, III n°. 7, 8.

condendae (1). Recte quoque in Decisionibus legitur: «Consuetudo ab uno casu ad alterum trahi nequit» (2).

Si ita quaeramus, utrum solidi obligatio medio aevo imprimis in Italia mercaturae patria, jure consuetudinario esset recepta, ut SEMPER in rebus mercatoriis locum obtinuerit, fixaque esset regula, an potius in quibusdam causis non in omnibus daretur, non dubitarem contendere *semper*, jure saltem, non obtinuisse: Nam.

I. Consuetudo esse debet «secundum aequitatem rationemque naturalem.» Solidi obligatio in omnibus rebus admitti, non naturali rationi congruum esse, infra videbimus.

II. Casus, in quibus in solidum contrahentes tenentur, expresse exhibentur, et consuetudo «non ab uno ad alterum casum potest trahi.»

III. Consuetudinis vis tanta non est, ut substantialia contractus mutaret, quod breviter Straccha admonet (3): «Substantialia autem contractus a consuetudine non supplentur.»

IV. Lege medii aevi certi casus dati erant, in quibus in solidum obligabantur debitores, in aliis rebus eandem rationem afferre contra jus foret, nam: «Consuetudo spectanda est, dummodo legi non adversetur, hoc est, a lege non reprobetur (4).

(1) Eod., n°. 3.

(2) Dec 55, n°. 8.

(3) De Navibus III 9.

(4) Straccha de Navagatione, n°. 24.

V. Hoc dare volo, in multis casibus datum esse solidi obligationem, in quibus hodie non datur, (quod infra apparebit), sed ideo tamen non *semper* obtinet.

VI. Cons. Fremery lc. pag. 23. duos locos affert ex decisionibus, quae probarent in solidum *semper* teneri mercatores; nempe Dec. XXX, n^o. 5, et Dec. XLVI n^o. 5. Primus locus sic audit: « Fuit probatum de consuetudine et stylo mercatorio, quod quando duo expendunt nomen insimul, quilibet tenetur in solidum, quae consuetudo valet. » Sed hoc fugit forte fortuna, Fremery, in Decisione XXX, de Cambiis agi; et in *his* semper in solidum expendentes tenuisse nemo est qui dubitet. Secundus locus hoc habet: « Usu enim in civitate Genuae et quidem notorie receptum est, quod *socii* expendentes, nomen, tenentur contrahentibus secum in solidum, et talis consuetudo et observantia attendi debet, cum faciat jus, et non debet probari. » Fremery negligentia quae vix excusari potest, forsan mala fide, hujusce loci nil affert, quam hoc: « Nam est notorie et non debet probari, » praetermittens, etiam in Decisione XLVI de societate agi et in hoc valuisse solidi obligationem constat, idcirco tamen illa consuetudo ad alios « casus trahi non potest. »

VIII. Loci allati sic nil probant; contra vero tres locos adversus acerrimum consuetudinis illum vindicem habeo, ex ipsis decisionibus sumptos, quibus et ille usus est. Dec. 161, n^o. 2: « Pro virili parte tantum erat obligatus: » Dec. XXVIII, n^o. 11, qua

in quaestione quadam alii in solidum tenentur, alii ad viriles partes tantum curia damnati sunt. Praecipuus locus est in Dec. 97, n^o. 12, ubi legitur «nam quando duo vel plures separatim subscribunt, «quilibet manu sua, tunc, alio non apparente, «quisque pro sua portione tantum obligatur; secus «vero, quando reus subscribit nomen suum, ut alterius socius vel plurium scientium et patientium, «quia tunc obligatur in solidum.»

IX. Sic solidi obligationem non regulam fuisse in medii aevi jurisprudentia, satis constat. Potest tamen esse, ut curiae mercatorum eam saepissime adhibuissent, nam jam medio aevo juri, repugnare solebat mercatura, quod e dicto Stracchae jurisconsulti videri licet. «Sunt ignari, imperitique mercatores, qui ex «aequitate agendum esse credunt, et inquirunt juris- «consultos cavillationes concupiscere, et sequi; mercatores vero aequitatem.» Utrum contra jus curiis SEMPER solidi obligatio admissa sit difficillime esset statuere, sed ex iis auctoribus, qui adhuc supersunt, contrarium potius apparet, et quod Fremery dixit (1) «plusieurs decisions de la Rote de Gènes, et juris- «consulte Straccha, déclarent expressement, que «la solidarité de commercans est le droit consulaire, » non probatur nisi in duobus locis qui omnino de alia re agunt.

X. Eo ipso auctore, Bartolus etiam dixit: «*Plures* «auctores hoc principium agnoscere.» Cum vero hi

(1) L. c. pag. 23.

auctores eodem tempore vivebant certo de re non dubitassent, si tam vulgo esset agnita (1).

Post haec magis generalia, in quibus causis in solidum debitores eo tempore tenebantur, videamus.

In libro *de Adjecto*, a Straccha conscripto, et qui editione quae mihi in manibus est folio 497 sqq. invenitur, jurisconsultus, ante quam de re ipsa agat, universalia plura docet, in quibus etiam est reorum stipulandi ex jure Romano doctrina. Correallem obligationem sic medio aevo in Italia saepissime esse contractam, ibi docetur. Pro ipsa stipulatione, igitur instrumenta usurpabantur, in quibus scripto confirmatam fuisse dixerunt (2). Plures etiam hac de re quaestiones commemorantur, quorum e. g. haec una est: an debitor, si mihi quinque, Titio vero decem promiserit, a me liberetur, si Titio quinque solverit, quod Straccha recte negavit (3). Doctrinam hanc tamen potius ex jure Romano interpretes explicarunt quam novis quaestionibus illustrarunt (4).

Exercitores in solidum teneri, jam inde patet quod Straccha pag. 416 dixit, se ea de re non amplius acturum esse, quia tam praeclare ab aliis omnibus interpretibus res illustrata fuerat. Idem etiam notavit Valin (5). In rebus nauticis universe medio aevo facile lex correallem obligationem admit-

(1) Ad fr. 9 de duobus reis, Quaest 7, n^o. 9 Fremery pag. 23.

(2) Straccha de adjecto pag. 547.

(3) De adjecto pag. 511, n^o. 49—50.

(4) De adjecto pag. 555, n^o. 4.

(5) Sur l'ordon. Liv. II Ti. 8 art. 2, p. 69. Fremery pag. 196, nota 3.

tebat, ita dominus mercium, qui ad merces transferendas navem locaverat, sibi optionem habebat, utrum contra navis magistrum (patronum), an contra dominum ipsum agere mallet (1). In solidum tenebantur de damno ii, qui per mare advehebant merces, quae terra possent transferri (2).

Fidejussor, licet non extra principale debitum teneretur, tamen solidum solvat necesse erat (3). Mandator vero non tenebatur, quia alieno nomine gesserat.

Praecipue vero correalis obligatio in societatibus et contractu cambiiali occurrebat. Cujus rei jam supra manifesta exempla attulimus. Quaestioni an socii cessionis beneficio uti possent sic respondebatur, ut qui mala fide versabantur, eo non gauderent, qui bona fide egerunt, eo uterentur: quia « est honorum « beneficium, non malorum praesidium » (4). Peculiaris quaestio etiam tractabatur haec: Ex quatuor personis, qui societatem inierunt, duo, nescientibus aliis, alio loco aliam societatem inter se rursus contraxerint, utrum nunc, si hi decoxerint, illi hac de societate teneantur, nec ne? Quod negando respondetur, quia « una societas ad aliam trahi non potest » (5). Si vero unius societatis plures sunt alio loco sectiones, de his quisque socius recte tenebitur in solidum. Solidi illud obligationis principium in

(1) Straccha de Nautis bl. 417, n^o. 2.

(2) Id. de Navig. n^o. 4.

(3) Straccha de adjecto IV. n^o. 11.

(4) Straccha de decoctoribus II. 9.

(5) Straccha eod. V. 13.

societate contrahenda, tam firmiter medio aevo tuiti sunt, ut de societate vix quid legere possimus quin etiam de principio admoneamur. Sic in Decisionibus est: «in solidum enim socii teneri debent (1); «in solidum quisque, qui nomen expendit, tenetur; «haec consuetudo jus facit, est notoria et non debet «probari» (2); in dubium vocari non potest, omnes socios in solidum teneri de gestis per institorem (3). Idem de jure cambiali dicere licet; nam etiam in hoc contractu ubivis de solidi obligatione et Decisiones et Straccha monuerunt. Praeclarus locus in iis est, qui occurrit Decisione XXX n°. 5: «qui nomen «insimul expendunt, consuetudine et stylo mercatorio «in solidum tenentur,» hoc adeo verum est, ut vel jam illi, qui litteras cambiales solvere promiserant pro aliis (per onor di littera, per onor della gira), aequae ac alii endossantes et verus acceptor in solidum teneantur (4).

Sunt qui affirmant, in jure nostro antiquo quoque hoc principium adesse, quo solidi obligatio in rebus mercatoriis regula esset. Si etiam locos, quos interpretes asserunt, primo obtutu inspiciamus hoc sine dubio esse videretur, si autem accuratius indagemus, quo nexu his verbis scriptores usi sint, nil ad pro-

(1) Dec. XXIX, n°. 3.

(2) Dec. XLVI. n°. 5.

(3) Decis: CXVI. n°. 2.

(4) Dec. XXXII. n°. 1, pag. 132.

bationem efficiunt. Memoratur sic locus Ici apud nostrum Barels, quo « omnes qui simul unam mercantiam faciunt, in solidum teneri » dicuntur. Addunt locum Mozzii Ici e quo, si plures contraxerint, ab omnibus solidum repeti posse contenditur (1). Tertius locus occurrit in jure consuetudinario urbis Antverpiensis, caput 51 n^o. 1, quo idem principium sancitum est. Sed non recte loci intellecti esse videntur: Mozzii enim sententia occurrit in titulo de societate, Barels quoque de ea dixit, et expresse in statuto urbis Antverpiensis dictum est de: « compagnieschap van koopmanschap. » In societatibus semper et ubivis in solidum socii tenebantur, sed hoc nondum probat, idem aliis in omnibus mercatorum contractibus obtinuisse. Sed insuper duo loci contra afferri possunt, quorum unus hic est: « Abjiciendum est hoc male Romanis legibus introductum, ut exercitores in solidum singuli tenerentur, absterrentur enim sic omnes ab navibus exercendis, nec publice utile est. Atque adeo apud Hollandos ubi mercatura pridem maxime viguit, et nunc, et olim lex illa Romana observata non est, immo contra constitutum ne exercitores etiam singuli, amplius teneantur, quam ad aestimationem navis, et eorum quae in navi sunt » (2). Alter locus sic audit: « Na de Roomse regten plagen veel mede-reeders van een schip, ofte andere 't samen koop-

(1) Barels Adv. 59: Mozzius in contractibus. Tit de societate caput de Natura societatis.

(2) Grotius de I. B. a P. II. XI n^o. 13.

«handel drijvende, elk uijt de daet van hare
«bewint-hebbers in 't geheel aangesproken te wer-
«den; maar bij ons is sulx niet aangenomen, als
«den koophandel schadende. *Oversulx werden de*
«*koop-luijden alleen verbonden, elk voor haer aan-*
«*deel in de koophandel* (1). Quum igitur loci pro
re allati nil probant, illi, quos contra attuli a summo
Grotio sumtos, magni momenti sint, non dubium
mihi est, nostro etiam antiquo jure patrio solidaria
obligationem in rebus mercatoriis numquam
regulam fuisse, in quo ipse Fremery etiam consentire
coactus est (2).

In Francia edictum de mercatura terrestri anni
1673 Titre IV. art. 7 quidem socios in solidum teneri
in societate nominata dixit, sed de solidaria obli-
gatione porro tacetur, eamque semper locum ha-
buisse in codice saltem non dicitur. Accessit art.
1202 C. C. «La solidarité ne se présumé point il
«faut qu'elle soit expressement stipulée.» Si codex
speciales res exhibuerit, et art. 1202 C. C. non
praesumendam esse dixerit obligationem correalem,
eam etiam non semper locum obtinuisse videtur;
saepe tamen a curiis aliter actum est (3). Art. 1862

(1) De Groot, Inleijding tot de Holl. Regtsg. B. III. Deel I, n°. 38
en 39, ibiq. citati. Vinnius ad Inst. IV. 7, n°. 2.

(2) L. c. pag. 196, n°. 3.

(3) Arrêt du parl. de Toulouse 17 Juin 1662, in Journal du palais
II 43. Bornier conférences, II vol. 4. Paris 1704 II. pag. 471.
Cassat: 17 Fevr. 1830. Bordeaux 19 Juillet 1830 in Dalloz 1830—1831
pag. 130 et 1831—1832 pag. 74.

C. C. Fr. nempe sic audiebat: « dans les sociétés
« autres que celles de commerce, les associés ne sont
« pas tenus solidairement des dettes sociales. » Ita,
argumento a contrario curiae francicae dicebant, si
debita non sunt mercatoria, cessat obligatio correa-
lis, si vero mercatoria sint, ea *semper* obtinet. Hoc
a curiis saepe est sancitum, pluribusque sententiis
confirmatum. Accesserunt juris periti, qui, male
intellectis Italicorum scriptorum locis, jurisque con-
suetudinarii vindices, hoc principium secuti sunt.
Poithier enim correalem obligationem regulam fuisse
perperam contendens, hoc addidit: « cela à passé
« en maxime » (1). Pardessus ex juris consuetudinarii
auctoritate idem confessus est (2). Sententia cons.
Fremery infra accuratius erit investiganda. An vero
jurisprudencia in Francia hac in re tam firma esset
ut *semper* admitteretur solidaria obligatio difficile
statuere foret. Quamvis hoc vero constet potius ex
interpretum doctrina et consuetudine, quam ex ipsa
lege, interpretes hoc statuissse, non tamen crederem
sic in omnibus rebus mercatoriis *semper* hoc prin-
cipium a curiis fuisse acceptum.

In jure Romano, decisionibus Rotae Genuae, in
libris Stracchae Jurisconsulti, denique in antiquo jure
patrio et codice francico regulam non fuisse correalem
obligationem jam vidimus. Una restat de jure nostro
hodierno quaestio, quae nunc consideranda est.

(1) Obligations, n°. 266.

(2) Cours du droit commerciale n°. 190.

CAPUT III.

DE SOLIDARIA IN REBUS MERCATORIIS OBLIGATIONE
IN JURE NOSTRO HODIERNO.

La nécessité de fixer les usages et d'assurer
l'exécution de ces engagements a produit la
legislation commerciale.

PARDESSUS

§ 1.

Societas nominata.

Duo pluresve, qui *Genuenses* forsan *et ita mercatores fuerunt*, in utriusque utilitatem saepe se conjunxerant, ut damna lucraque communia haberent (1). Quum vero periculum sic majus esset extraneis, qui cum sociis agentes, magnis pollicitationibus fallerentur, principium introductum legimus, quo omnes socii in solidum tenerentur; quod semper viguit hodieque exstat. Hoc jam antiquis temporibus valuisse ex locis videre est, quos supra capite secundo attulimus (2). Crescente mercatura, et mercatorum negotiationibus auctis socios in solidum teneri majorem attulit utilitatem et legibus expressis verbis praescriptum est illud principium, quod publicae utilitatis esse facile dicas, et sic privatorum pactis commutari numquam potest (3).

(1) Historiam societatum exhibet Fremery l. c. pag. 30 sqq.

(2) Praecipua placita hac de re etiam collecta exstant in Barels Adv. LIX, Tom. II, pag. 233, sqq.

(3) Alg. Bep. art. 14.

Iure francico socios in solidum teneri sancitur art. 22 Cod. Mere., jure nostro art. 18 ejusdem Cod. Discimen tamen quoddam inter hos articulos facile animadvertitur; quum ex jure francico unius socii actus semper societatis nomine communi perfici debeat (pourvuque ce soit sous la raison sociale) et jure nostro hoc additum non sit. « In vennootschappen « (van koophandel) onder eene firma, is elk der « vennooten wegens de verbindtenissen der vennoot- « schap hoofdelijk voor het geheel aansprakelijk. » Latius sic patet art. 22 Codic Merc. franc. sed jure nostro quoque in jurisprudentia idem principium receptum est.

Duo requisita tamen semper adsint oportet, ut contra omnes socios jus suum recte exerceat creditor. Nam ei, quocum egit, potestas esse debet societatem obligandi, et ipsa obligatio societatis nomine contracta sit necesse est. Ex publicationibus, quae diario inseruntur, qui et quatenus agi possent, extranei admonentur, et si hoc nesciant, habent quod sibi detrimentum imputent. Vel nihil de administratione publicatum est et tacite sic omnibus agendi potestas esse data videtur, ac si actor idoneus non sit, socii querantur, non extranei quibuscum contraxit societas (1). Societatis nomine porro res acta esse debet nam alios non de iis rebus teneri, quas socius suo nomine fecit et quarum lucrum etiam ad solum socium spectabat, ipsa monet aequitas. Si vero constat, rem, quae acta est, revera ipsam spectare

(1) Cour de Cass. 28 Germ. An. XIII.

ad societatem, extraneus cum ea egisse intelligitur, quum praesumptio veritati cedat (1).

Quaestio mota est, quomodo jus suum recte persequi possit creditor; utrum societatem ipsam in jus vocare, an socios debeat citare? Societatem nominatam fictam personam representare fatendum est, sed eam in jus vocare absurdum videtur. Si nempe citetur societas ipsa, omnia jura et officia, quae cuique reo incumbunt, incumbunt quoque societati. Potest sic etiam e. g. jusjurandum deferri, cui delationi numquam ipsa societas satisficiat. Socios vocare A. et B., utpote socios societatis A. et B. et citationem illam societatis domicilio dare, semper praestabit.

Alia quaestio haec est: utrum unum ex sociis recte in jus vocare possimus nec ne? Et urbis nostrae curia, primum contra omnes socios societatem representantes agi debere, postea vero, quem ex his velit, creditorem tenere possi intellexit (2). Uno socio mortuo, heredes ejus in solidum tenentur.

Placita, quae in jure circa societates sancita exstant, ex prudentia politica orta sunt, ne splendidis sed fictivis pollicitationibus homines laedantur. Si igitur has leges ita non secuti sint mercatores, poenae dantur, inter quos illa primarium locum obtinet, qua illi, qui aliter pro re sua tenerentur, nunc correalis obligationis participes fiunt eamque

(1) Cour de Cass. 28 Germ. An. XIII et Oct. 1806, Poithier obligations n^o. 83 inf.

(2) Amsterdam 11 Maart 1840. Cf. Annotat. in art. 18.

in se suscipere debent. In societate commanditaria solidum solvat necesse habet is, qui, quum commanditarius esset socius (A et socuis, A en comp.) tamen nomen suum in societatis nomine adesse sinebat, nam societas tum non commanditaria manet, sed revera nominata evadit. Socius commanditarius, qui se rebus societatis immiscuit, eadem poena punitur, licet etiam a sociis mandatum ei datum esset. Verba quibus legislator hoc decrevit sunt haecce: «deze vennoot mag geene daad van beheer verrigten «of in de zaken der vennootschap werkzaam zijn.» Locus hic non est de hoc placito ex industria agere, sed ex historia juris francici patet, hoc non significare nil perficere quod ad societatem attinet, e. g. esse ministrum societatis, sed potius non licere socio commanditario cum extraneis agere et se societatis administrationi immiscere (1).

In societate innominata, in qua majus adhuc periculum extraneorum fidei minatur, eadem poena, plures formae praescriptae, sancitae sunt. Acta adesse debet, insinuata apud curiae graphiarium et in diario publicata; si ille, qui praesint societati, hoc negligant, in solidum tenentur qua poena etiam afficiuntur, si sortis diminutionem ad dimidium usque, non publicarent. Correalis tunc exstat inter illos obligatio de damno, quod post illam diminutionem existit (2).

(1) Art. 20 Cod. Merc. Voorduijn a. h. l.; Cf. art. 21 et Regtsg. Adviesen II, bl. 167.

(2) Art. 93, coll. art. 47, Cod. Merc.

Litterae Cambiales.

Primis temporibus, quum mercatura permutatione potius quam emptione fiebat, facile mercatores jure cambiali carebant, postea vero, extensis mercatorum negotiantibus etiam ad peregrinas regiones, in favorem commercii litterae cambiales inventae sunt. Quia saepe vero illi, quorum nomina in litteris inveniebantur, alio loco degebant, et cum bona fides in hoc contractu primum locum habere deberet ortum illud est strictum jus cambiale, quod jam antiquitus obtinuit, et ideo recte ab aliis juris speciebus distinguitur, quia omne debitum cambiale carcer civilis sequi potest, et omnes, qui litteram signarunt, de toto debito in solidum tenentur. De illo videatur articulus 516 Cod. de Ord. proc. in caus. civilibus; de hoc, pauca addam.

Si fingamus litteras cambiales, quibus plures subscripserunt, vel unus post alterum secundum ordinem, vel omnes simul et quemque velimus de toto debito tenentur. Id est, quod vulgo vocatur: *regressus per saltum*, et *per ordinem*. Ille, qui per ordinem fit, quibusdam legibus expresse sancitus est; regressu per saltum excluso. Uterque regressus jure nostro admittitur, sed ille per ordinem consuetudine, plerumque fit (1). Huic regulae tamen art. 186, C. M. sancitae, a legislatore hoc additum est, liberari secundum, si

(1) Art. 186, Cod Merc.

primus teneatur, quod forsitan contra juris principia esset, ex quibus correi non liberantur; sed si unum in jus vocemus, praesumptio esse videtur, qua illi, qui cambiales litteras possidet tacite secundum remisisse creditur, si primum evocaverit (1). Hoc principium adeo verum est ut etiam illi, qui cambii sunt fidejussores (Avallum) et qui acceptum tulerunt (acceptanten), vel per onor di littera, vel per onor della gira, nec non omnes qui signarunt litteras in solidum teneantur (2); ita ut ab omnibus simul vel ab eo, quam aptissimum solvendo esse putet, solutionem recte petat cambii possessor (3).

Quum vero regressus ad secundum non admittatur, si primus vocatus sit, ita concordato cum primo, secundus; cum debitore principali, fidejussor liberatur (4); at modo concordatum illud voluntarium, nec a iudice datum sit. Si possessor litterarum non tempore modoque justo contra debitores egerit, jus, quo contra eum gaudeat, qui scripsit litteras, periisse, sed huic jus ejus in provisionem possessori cedere debere prudenter additum est (5). Denique apud nos obtinet etiam regressus per saltum, quod aliis juribus vetitum est; quod non novum est, quum jam antiquo jure nostro idem regressus obtineret (6).

(1) Art. 186, alienea 3, 4, ibique Annotat. Coll art. 1316, Cod. Civ. et Voerduyn, pag. 690 sqq. Contra hoc principium dixit vir cons: Lipman, Wetboek van Koophandel, pag. 53.

(2) Art. 136, Cod. Merc.

(3) Art. 186, Cod. Merc.

(4) Art. 199, Cod. Merc. ibiq. Annotationes.

(5) Art. 201, Coll art. 109.

(6) Barels II, Adv XVII.

Quaestio de negotiis communiter gestis.

A societate haec negotia jam jure Romano distingui solere patet inde quod apud Ulpianum jam haec verba occurrunt: « qui nolunt inter se contendere, so-
« lent per nuntium rem emere in commune, quod a
« societate longe diversum est. » (1) Jure antiquo patrio ea negotia quoque diversa a societate intellecta sunt, et ut solidaria obligatio eo tempore, ut vidimus, non regula erat, sic etiam in negotiis communiter gestis non occurrebat (2). Licet in Francia in rebus mercatoriis quoque non SEMPER correalis obligatio obtineret, et Jurisconsulti discrimen inter societatem et ea negotia (actions en participation) recte perspexerunt, saepe tamen quaestio mota est, utrum in his negotiis agentes teneantur in solidum nec ne? Pardessus affirmando respondet, et eadem sententia nuperrime a curia recepta est (3). Causa vero, cur in jure francico solidaria obligatio hac in re admitteretur inprimis ex redactione fluxit art. 162 Cod. Civ. et 18 Cod. Merc. de qua ratione male intellecta supra jam diximus (4). Quae hac de re nostra sit sententia ex iis, quae antecesserunt, statim apparet;

(1) Fragm. XXXIII dig pro socio (XVII 2).

(2) Barels Adv. LXV, n°. 1, 2, Tom. II.

(3) Pardessus cours du droit commercial, n°. 190, Zwol 24 Februarij 1847.

(4) Cap. II in fine.

quum enim, nec jure Romano medii aevi, et antiquo patrio, nec jure francico regulam correallem obligationem fuisse contenderimus, et causa illa quaecunque est, tamen non exstet jure nostro (Cf. art. 1679, Cod. civ. coll. art. 1862, Cod. Civ. franc) participes illorum negotiorum, quae communiter geruntur (handelingen voor gemeene rekening) non in solidum teneri arbitror. Unum restat, sc. rem apud nos in titulo de societate tractari, quod tamen potius errorem fuisse legislatoris patet ex eo, quod nemo saltem illa negotia societatibus velit equiparari (1). Prestitisset, si specialis titulus fuisset, ut e. g. est Libri III Titulus VIII codicis civilis (2). Addi potest, verba legis tam stricte esse composita, ut distinctio admitti vix possit (3), verba nempe sunt haecce: «Zij geven aan «derden geene regtsvordering dan tegen dengenen «met wien die derden gehandeld hebben.»

(1) Art. 58, alin. 2, ea a societate, etiam distinguit.

(2) Art. 57, ibiq. annotatio.

(3) Art. 57 et 58. De quaestione vide, Diephuis en Oudemans, ophelderingen en mededeelingen III, bl. 125 et 161.



CAPUT IV.

QUID DE EORUM SENTENTIA, QUI SOLIDARIAM OBLIGATIONEM IN REBUS MERCATORIIS PRO REGULA ADMITTUNT, EXISTIMANDUM SIT?

Au dessus de l'autorité de la coutume
est la raison.

A. FREMERY.

§ 1.

Eorum sententia refertur.

Jure communi quisque tenetur ex re sua, et numquam correalis praesumitur obligatio, sed « en droit commercial le principe est absolument contraire; « si plusieurs personnes contractent envers moi une « obligation relative à un acte de commerce elles sont « obligées solidairement » (1). Consuetudines, quae in Italia vigeant, ut ex Stracchae de mercatura libris, et ex rotae Genuae decisionibus apparet, huic principio quam maxime favebant, quod ita « a passé « en maxime » (2). Codices vero aliam viam ingressi sunt, et non nisi quibusdam in casibus correalem obligationem admiserunt. Licet ergo lex contra consuetudinem statuisset, haec vigere adeo perrexit ut « rien n'est plus constant que ce point de droit commercial fondé en Italie (?), adopté par la France, « et par toutes (??) les nations commerciantes, savoir

(1) A. Fremery l. c.

(2) Poithier oblig. n°. 280.

« la solidarité à lieu de droit en matière commerciale » (1). Consuetudinis illi vindices ad jus Romanum provocant et stipulationis vim, pro qua postea, remissa a Leone imperatore solemni interrogatione, tabulae in usum veniebant, deinde explicant. Quod ipse Justinianus in novella XCIX affirmat, ex sua tantum re quemque teneri posse, ita explicant, perinde ac si non nisi ad stipulationem pertineret, et sic regulam confirmaret, et in aliis contractibus semper solidaria obtineat obligatio, ut Papinianus hoc expresse de re, apud duos deposita, in digestis exhibuit. Quod quisque facile fatebitur, quum res sic individua sit et ita semper obligatio de ea re in solidum esse debeat. Addunt ex Novella illa XCIX, articulum 1202 c. c. profluxisse: « La solidarité ne se presume point, il faut qu'elle soit expressement « stipulée. » Ex locis male intellectis, vel male fide pro parte tantum allatis, hoc medio aevo in Italia, mercaturae patria, etiam semper obtinuisse dicunt, et nunc abhuc consuetudinis, scriptorum et curiarum sententiarum auctoritate effectum esse, ut in rebus mercatoriis correalis obligatio sit regula, affirmare ausi sunt (2).

§ 2.

Quid de hac sententia existimandum sit.

Sententia, quam Fremery l. c. attulit, fundata,

(1) Fremery l. c.

(2) De tota hac sententia vide Fremery, pag. 21, sqq.

est historiae. Sed aut fallor, aut ex iis, quae capite II attuli, ex argumenti historia contrarium potius patet.

Jure Romano enim principia mera sancte servabantur, unde quisque non nisi ex sua re tenebatur. Casus, in quibus solidaria obtinebat obligatio, expressis verbis notati sunt. Unus locus Papiniani, qui de deposita re apud plures, aliquid exhibet, et quem attulit Fremery, nil probat. Illi loco plures supra addidi, sed quod jurisc: prudenter omnes casus circumscripserunt, in quibus solidaria obtinebat obligatio, potius probat, eam non regulam, sed regulae exceptionem fuisse.

Supra vidimus qua mala fide hi juris consuetudinarii vindices, eos locos adhibuerint qui in Stracchae jurisconsulti libris et in Decisionibus Rotae Genuae de re occurrunt. Adhibiti nempe sunt pro regulis universalibus, et ab iis auctoribus non aliter usurpati sunt nisi in doctrina de societate et litteris cambialibus, in quibus correalem obligationem semper adfuisse, nemo negabit.

Idem obtinet in locis, qui ex jure antiquo patrio allati sunt; qui etiam non nisi in societate nominata et litteris cambialibus hoc principium sanxerunt.

Contra vero ex ipso jure Romano, ex Decisionibus et Hugonis Grotii libris quaedam placita hausi, ex quibus exceptionem non vero regulam correalem fuisse obligationem liquet, quum universe nemo teneretur nisi ex re sua.

Argumentationis fundamento ita labefacta, cadat ipsa doctrina necesse est.

Insuper contra principium adhuc pugnant aequitas, lex, consuetudo.

§ 3.

Quaestio ex aequitate spectata.

Sententia consi Fremery c. s. aequitati et sanae menti quoque oppugnat. Ex aequitate enim quisque ex re sua tenetur, et qui rei damna patitur lucra accipit, et vicissim (1). Prudenter itaque omnes legislatores in hujus regulae exceptione sancienda egerunt; et in quibusdam casibus ita solidaria accepta est obligatio, vel suadente prudentia politica, vel ex ipsa rerum natura secuta. Marito secundo nempe cum uxore tutelam in se suscipiente, ambo in solidum tenentur ut res pupilli, qui se ipsum nondum defendat salvae sint; socios in solidum tenet creditor, ne extranei fallantur, et ii tuto cum societate agere possent: in jure cambiali solidi occurrit obligatio, quia bona fides in hoc contractu vim maximam exercet, et ut faveatur commercio: res individua obligationem solidariam effecit ex ipsius rei natura: et sic porro.

Sed insuper ad absurda quoque duceremur, si sententiam illam, quam Fremery defendit, temere sequeremur, et in omnibus mercatorum contractibus solidaritatem admitteremus. Puta polizzam assecu-

(1) Voordyn VIII, bl. 295 sqq.

rationis, quae, si damnum pergrave resarciendum esset, eo consilio a pluribus proxenetis signatur, ne unus solidum solveret, sed ut damnum inter plures divideretur, quia uni nimis grave esset. Si semper in rebus mercatoriis solidaria obligatio admittenda esset etiam hac in re valeret, et illi, qui eo consilio contraxerunt ne solidum solvant, solidae tamen obligationis essent participes. Si quaestio vero rite perspicere velimus non ad consuetudinem solam, sed ad jus et consuetudinem provocandum est.

§ 4.

Quaestio ex jure nostro spectata.

Jure francico et curiarum sententiis, et male ab interpretibus intellecto art. 1862 C. C. N. saepius, quam nostro jure fieri potest, solidaria obligatio admissa est. E jure nostro hodieque vigentis, cujus tantum nobis ratio habenda est, principium istud non manat. Nam:

I. Jus privatum lato sensu sumptum, mercatorium, nauticum, cambiale et civile jus includit (1). Codex Civilis igitur non ad unum civium genus tantum sed ad omnes cives spectat; codex mercatorius vero ad cives pertinet, quoad mercuturam exercent, sed quia illi mercatores semper tamen cives manent, codex civilis quoque ad eos pertinet. Non ego is

(1) Praeceptor aestumatissimus C. A. den Tex in Encyclopaedia Jurisprudentiae § 90 sqq.

sum qui ad omnia, quae commercium spectant, nullo discrimine admissio nec iudicio usus, semper codicem civilem adhiberi velim; alia enim mens in codice mercatorio adest. Tamen admissio illo discrimine et idea mercaturae pro fonte secundo adhibita, recte quoque ad codicem civilem mercatores possunt provocare; quod adeo verum est, ut saepe ad eum ipse legislator retulerit (1). Regula quoque in ipso codice mercatorio principalis sancita est: «Het burgerlijk wetboek is, voor zooverre daarvan «bij dit wetboek niet bijzonder is afgeweken, ook «op zaken van koophandel toepasselijk (2).» Licet in alia re, mercatoriam dico, versemur, codex civilis regula est, cujus exceptio codex mercatorius recte vocatur.

II. Quae quum ita sint, et imprimis principia universalialia in codice civili sancita, ad mercatores referantur, inspiciendus tantum est Art. 1318 Cod. Civ., qui strictissimis verbis solidariam obligationem praesumi vetat, eamque non locum habere dicit, nisi lege ipsa expressis verbis sancita sit: contra haec omnia tamen eam praesumere, non esset veri juris-consulti, nam ubi, lex ipsa non distinguit, nobis non est distinguendum. Licet ab illa interpretatione abhorream, qua litteris vocibusque adhaeretur, non vero iis, quae lex voluit; ab altera parte non distinguendum esse puto, si verba et mens legis idem

(1) Art. 15. 79. 84. 139. 157. 204. 244. 296. 452. 747. 754. 767. 785. 857. 885.

(2) Cod. Merc. art. 1 alin. I.

velint. Nemo post allata dubitabit, non sola verba sed etiam legislatoris voluntatem eo sensu accipendam esse, correalem obligationem non contra historiam et aequitatem semper obtinere (1). In quibusdam tantummodo casibus solidae obligationis principium legislatorem admisisse supra in capite III vidimus. Causa in iis adest, cur correi in solidum teneantur de reliquis, in quibus ea causa non obtinet, legislator tacuit, et ad ea trahere, quod praesumere vetitum est, ultra veritatem esset, ultra jus.

III. Clamare solent nonnulli de consuetudine. At ex ipsa lege juri consuetudinario legis vis denegatur, nisi lex ad illud provocet. « Gewoonte geeft geen « regt, dan alleen wanneer de wet daarop wijst » (2). Consuetudo, quae antiquitus valebat, de qua vero nunc tacet lex, abrogata esse intelligitur. Si solidaria obligatio ita regula fuisset, quae non fuit, tamen jure nostro lege esset abrogata. Codicis C. Libri III Tituli VII Sect. V ita etiam in abusum trahit omnia quae antea hac de re consuetudine valebant. In Decreto (3) etiam legimus, « insgelijks « zijn op het zelfden tijdstip d. i. te rekenen van « den dag der invoering van het Burgerlijk Wetboek « der Nederlanden afgeschaft, de algemeene en plaatselijke gebruiken, in de stoffen welke bij het

(1) Voorduin ad art. 1318 Cod. Civ.

(2) Art. 6 Alg. Bep. Ad eam provocat lex in Cod. Civ. Art. 198, 670, 677, 690, 703, 713, 720, 738, 788, 813, 816, 819, 1547, 1609, 1614, 1607, 1618, 1621, 1635, 1639, 1654.

(3) Art. 1 alinea 2. Wet 16 Mei 1829, (S. B. n°. 39).

«nieuwe Wetboek worden behandeld.» Tale quid in jure franco desiderari fateor, sed cum sit universale principum, quod ex jurisprudentia ultro sequitur, et quod sequela est juris scripti, etiam in Francia obtinere debet.

§ 5.

Quaestio ex doctrina de consuetudine spectata.

Iuris consuetudinarii sive juris non scripti, uti apud Romanos audiebat, tres species vulgo citantur. Consuetudo enim esse potest certae cujusdam regionis, quae tum extra eam non valet (plaatselijk gebruik), certae personae collegiivae, vel denique certorum ordinum, veluti mercatorum (1). Primis temporibus jus non scriptum solum fuit juris fons, nam ut cum Cicerone dicam: «justitiae initium «est a natura profectum, deinde quaedam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt, postea «res et a natura profectas et a consuetudine probatas legum metus et religio sanxit » (2). Lex moribus conveniat et igitur, ut Cicero dixit, jus non scriptum jure scripto sancitum esse debet. Quum vero ex prudentia politica plura nova contra consuetudinem addita sint, consuetudo saepe cum lege certare coepit, et inde plures illae quaestiones ortae sunt, quae circa hoc argumentum moveri solent.

(1) De consuetudine mercatoria scripsit J. G. Busch, Ueber Handlungsanzen, in Handlungs-bibliothek, I pag 241 et 660.

(2) Cicero de Invent. II 58.

Si jus scriptum non adsit, et consuetudo tunc revera legis partes agat, debet esse secundum jus, ex omnium comprobatione, et ex temporis diuturnitate (1); numquam etiam bonis moribus et sanæ rationi contraria sit.

I. Solidi obligationem regulam numquam obtinuisse et id etiam contra jus fuisse vidimus. Quum ad jus consuetudinarium diuturnitas temporis, omnium consensus, et jus æquitasque requiratur, sine quibus recte illud exstare non potest, etiam ex ipsa consuetudinis definitione, solidi obligationem non pro regula ex consuetudine mercatores posse applicare, statim apparet.

II. Differt imprimis juris consuetudinarii spectandi ratio, prouti de regionibus mentionem facimus, ubi codicibus carent, vel de iis, ubi scriptis legibus cives utuntur (2). Lex bona mores lege sanciet, quum juris et jurisprudentiæ principia sæpe cuidam populo communia sint, cum populo existunt et cum eo cadere soleant. « Das Recht wächst also mit dem Völke fort, bildet sich aus mit diesem, und stirbt endlich ab, so wie das Volk seine Eigenthumlichkeit verliert (3). » Si lege ita sancita est consuetudo, ea legem explicare potest, et ad interpretationem historicam egregie facit. In quibusdam

(1) Cicero de Inventione II 2, 54. Ulpianus fr. I § 4. § 9, I. de J. N. G. e. C. fragm. 32 dig. de legibus. Puchta Gewohntr. pag. 79, 99, 149.

(2) Von Savigny von beruf unsrer Zeit für Gesetzgebung, pag. 111 et 135.

(3) Von Savigny, libr. cit. pag. 11.

rebus juxta legem sinitur, non vero ultra legem regnat.

III. Ipse Straccha, cujus auctoritate male vero intellecta, suam sententiam superstruxit Fremery, consuetudinem secundum aequitatem esse debere dixit (1). Quum vero solidaria obligatio, licet ex prudentia politica nonnumquam admittatur, proprie contra aequitatis principia sit, quibus quisque ex re sua tenetur, haec consuetudo etiam legis vim obtinere numquam posset.

IV. Consuetudo, quae juxta legem valet, ad formalia contractus referenda est, et exempla plura afferri possunt, e quibus apparet in his consuetudinem multum valere. Numquam vero haec vis ei tribui solet, quod ad contractus essentialia, contra legis expressa verba, attineat. Idem Straccha hoc affirmavit (2), de modo dicens emptionis venditionis et locationis conductionis, in quibus valet consuetudo, quod ad modum vendendi et locandi, non vero ad pretium ipsum hanc posse referri addit, quia «substantialia a consuetudine non supplentur.» In solidum teneri contrahentes ad essentialia quam maxime est referendum, et ita ex consuetudine etiam sequi non posset, illud semper in rebus mercatoriis locum obtinuisse.

V. Consuetudinem mercatoriam (*handelsusantie*) latius adhuc quam aliam patere fateor. Causa in promptu est, quia contractus mercatorum bonae fidei

(1) Straccha *Tractatus de Assecurationibus* Libr. III, n°. 7, 8.

(2) Straccha *de Navibus* III, n°. 9.

vulgo sunt, et saepe ita a partium voluntate et ineundi ratione pendent, ut lege non recte omnino regantur. Exempla hujus rei plura afferri possunt. Inter alia jure francico praescribebatur a magistratu, semper mercatorum librorum paginas signatas esse debere, et in patria nostra tamen numquam signatae sunt (1). Sic cognoscamentum a navis conductore navisque magistro signari debet (2), et tamen solus magister id semper signat. « Het is bekend dat dit onderteekenen van « den inlander algemeen wordt verzuimd, en dat het « overal gebruikelijke formulier zelve der cognosce- « menten slechts eene eenzijdige erkenning, der inla- « ding door den schipper medebrengt » (3). Utut est, semper tenendum est, jus illud consuetudinarium mercatorum non nisi ad formalia referri, quum essentialia contractuum, a quibus recedere non licet, lege sancita maneant, et ita quoque non valet ad sanciendum istud principium (4).

VI. Saepe tamen contra leges agunt mercatores, sed hoc eousque fieri solet quousque de re ipsi non teneantur. Si mercator sententia judicis suo damno coactus sit legi obtemperare, consuetudinem missum facit et ad legem recurrit; sed nobis dicendum est etiam de iis quae facere debeant, si boni cives legi obtemperare velint.

VIII. Non semper mercatores ad solidariam obliga-

(1) Vir. cons. Lipman, Wetboek van Koophandel, pag. 8.

(2) Cod. Merc. art. 507, n^o. 3.

(3) Lipman, l. c. pag. 181.

(4) De jure mercatorio, quod ad consuetudines, elegantè scripsit A. Fremery le droit commercial, ou le droit fondé par la coutume universelle des commercants, Paris 1833.

tionem apud nos provocarunt. Et ita eam semper admittere, esset contra morem et mercatorum consuetudinem. Exemplum est in polizza assecurationis, quae solet a pluribus signari, ne in solidum teneantur, et ipsa consuetudo diceret cos teneri in solidum, quod consuetudo esset contra consuetudinem. Saepe cum lege certant mercatores, hoc verum est, sed jam Straccha sic de re pronuntiavit accusans illos «ignaros imperitosque mercatores qui se aequitatis magistros esse credunt; et inquit Jurisconsultum cavillationes concupiscere, se vero aequitatem sequi. Longe tamen melius quid aequitas sit, juris consulti norunt quam ipsi quid sit rigor, qui aequitati opponitur. Consulunt etiam mercatores in dicendis sententiis Jurisconsultos bonosque viros» (1).

Conclusio.

Jure Romano, medii aevi, uti in Decisionibus Stracchaeque libris diversis explicatum est, neque antiquo jure patrio solidariam obligationem regulam fuisse vidimus, quia loci male intellecti, vel male rescripti nil afferunt, contra vero alia placita exstant, quae contra rem statuunt. Jure Francico e lege ipsa principium admissum non erat, sed nonnumquam a

(1) Straccha mea editionis fol. 494, n^o. 2.

curiis est acceptum, ita vero ut non in omnibus casibus locum haberet (Caput I). Jure nostro hodierno dicitur de solidaria obligatione in societate nominata et in jure cambiali, de reliquis contractibus vero nil dicitur, quum illa negotia communiter gesta saltem jure nostro numquam solidi obligationem efficere possent (Caput III). Historia ita contra sententiam pugnat, quam attulit Fremery, pugnat etiam aequitas, qua quisque non nisi ex re sua tenetur, pugnat quoque lex, quae consuetudini auctoritatem denegavit et numquam praesumi dixit correalem obligationem, pugnat denique ipsum jus consuetudinarium, quia non temporis diurnitas, nec jus nec omnium consensus adest, et consuetudo numquam ad contractus essentialia potest referri. Quod si haec vera sint, correalis obligatio non regula, sed potius exceptio est, et insuper si esset consuetudo, quod esse nequit verissimum tamen est quod ipse dixit Fremery. « Au « dessus de l'autorité de la coutume est la raison. « Nul ne peut sacrifier sa conviction, c'est à dire « l'idée qu'il se fait de la raison de la vérité, du « droit, à l'autorité de la coutume. »

THESES.

I.

Const. II Cod. de Resc. Vend. (IV, 44) ad locationem conductionem nequaquam trahi potest.

II.

Quum solidi obligatio numquam regula fuit, non cum iis facio qui eam in rebus mercatoriis *semper* obtinere, dicunt.

III.

Pugna quae inter art. 1053 et art. 478 CC. adesse videtur, ex historia tollitur.

IV.

Jus necessitatis, quod dicitur, non admittendum.

V.

Improbanda est lex 3 Sept. 1807, quatenus usuris conventionalibus, quae dicuntur, modum imponit.

VI.

Art. 380 C. P. non ad extraneos socios referendus est.

VII.

Egregie MONTESQUIEU *Esprit des lois* L. XI Ch III.
« La liberté politique non consiste point à faire ce que l'on veut. »

VIII.

Poena capitalis non recte in crimina mere politica constituitur.

IX.

Exilii poena, si admittatur, optime constituitur in crimina mere politica.

X.

In art. 183 Cod. de Crim Cogn. vox *gezindheid* coetum religiosum publice admissum, significat.

XI.

Recte FREMERY (*Etudes du droit Commercial* Introduction pag. IV n°. 7) « Au dessus de l'autorité « de la coutume (consuetudo mercatoria) est la raison. « Nul ne peut sacrifier sa conviction c'est à dire « l'idée qu'il se fait de la raison de la vérité, du « droit, à l'autorité de la coutume. »







